

Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi? apponit: Sororem circumducendi in mulierem? Zwinglius pro illo Matth. XXVI. Hoc est corpus meum, reposuit: Hoc significat corpus meum. Calvinus vult Dominum joco tantum et illusive dixisse juveni illi cupienti salvari, Matth. XIX. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: idem locum ad Heb. V. Exauditus est pro sua reverentia, vertit pro suo metu et dubitatione, dicens apostolum indicare per hoc, quasi Christus ob mortis metum in quamdam desperationem salutis inciderit. Secuti in hoc plures discipuli magistros suos. Quarto, loca obscura Scripturarum et patrum, ut plurimum, adducunt et in copia quidem, quibus obiter patres locuti, etc. et variis modis capi et sensibus pluribus intelligi possunt: clara vero loca relinquunt, nec afferunt quia ab iis feriuntur: quæ si contra eos adducantur, dicunt: Patres errasse, se vero id clare ex verbo Dei videre; siquidem ipsi spiritum habeant, etc.

Quarto, quia inter se discordes, non secus ac structores turris Babylonicæ. Quemadmodum enim chamæleon, ut aiunt, omnium rerum colores assumit, præterquam album: ita hæresis omnes amplectitur opiniones, præterquam veram. Paucas e plurimis illorum discordias videamus e Florimundo, l. II. de orig. hæ. cap. X. « Lutherus ait, aquam baptismi necessariam esse ad salutem; Bucerus in commentariis super Matth. negat: Lutherus scribit exorcismos et abrenuntiationes in baptismo meras esse superstitiones; Brentius e contra in statutis ecclesiasticis ducatus Wirtembergici eosdem super creaturis usurpandos tradit: Lutherus in assertionibus suis et libro de captivitate liberum omnino tollit arbitrium; Melanchthon vero in locis communibus, anno 1552. editis docet, horribilis mendacii et Manichæorum insanie illos se participes facere, qui aiunt hominem omnino plane libera voluntate destitutum: Lutherus in suis declarationibus affirmat bona opera mereri præmium tam in hac quam in futura vita; at apologia Augustanæ confessionis et Bucerus scripto ad Concilium Tridentinum, contrarium docent: Lutherus matrimonium virginitati; Melanchthon virginitatem matrimonio præfert: Lutherus papam antichristum esse asserit; Bucerus e contra in locum illum D. Pauli ad Philippenses scribit, eas notas quæ antichristo tribuuntur, papæ non convenire. »

V. Quæ navis eorum ex veteribus et putridis asseribus compacta est; renovat enim vetera dogmata jam olim damnata, nec aliud est quam cento ex obsoletis assumptis confectus. Primo enim, libertatem arbitrii quem negant Lutherus et Calvinus, negavit etiam Simon magus, ut est

apud Clem. l. III. recognit. Valentinus, teste S. Augustino, hæresi XI. Manichæi, teste eodem hæresi XLVI. Secundo, docet etiam Deum esse auctorem peccati, et cogere homines ad peccata, etc. Hoc idem docuit Simon magus, teste Vincentio Lirinensi, et Florinus, apud Euseb. tomo V. capite XX. Tertio, ambo docent bona opera nil prodesse, fidem sufficere: hoc idem docuit Simon magus, teste Irenæo, lib. 1. cap. XX. Eunomiani circa annum Domini 360 apud August. hæ. XIV. Quarto, peccatum non nocere fideli, ambo docent: hoc ipsum etiam Eunomiani apud August. hæ. LIV. Basilides et Carpocrates apud Irenæum, lib. 1. cap. XXIII. Quinto, Calvinus negat præsentiam Christi in eucharistia: hoc docuit etiam Berengarius circa annum Domini 1081. quod tamen revocavit. Post 200. annos ipsum secuti Lollardi, apud Trithem. in chron. Hirsaug. ad annum 1312. postea Wiclefus, postea Zwinglius, cum quo sensit Calvinus. Sexto, ambo rejiciunt traditiones, solam Scripturam recipiunt: hoc etiam docuere Ariani apud August. l. 1. contra Max. cap. II. et ult. Nestorius, Dioscorus, Eutyches, ut est in VII. Synodo, act. I. Septimo, ambo negant sacramentum penitentiae et confirmationis: hoc etiam docuere Novatiani, apud Cyprianum, l. IV. epist. II. Theodoret. l. III. hæ. fab. Octavo, ambo docent Ecclesiam continere tantum probos homines, et prius visibilem fuisse, postea vero usque ad ipsorum tempora latuisse: hoc etiam docuerunt Donatistæ, apud August. l. de unit. Eccl. cap. II. Nono, ambo docent non esse orandum pro defunctis, quadragesimam non servandam: hoc etiam docuerunt Ariani, teste Epiphano, hæres. LXXV. Aug. l. de hæ. c. XXXIII. Decimo, ambo negant venerationem reliquiarum, imaginum sanctorum, et vocant idololatriam: hoc etiam fecerunt Vigilantius, teste S. Hieronymo contra Vigilant. Iconomachi, apud Zonaram, Cedr. Niceph.

Jam vero quid ait Scriptura? *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit, et ædificaverit civitatem Jericho*, Jos. VI. civitatem videlicet illam, solo æquatam et anathemati subjectam. At quid aliud sunt hæreses, nisi structuræ dæmonis, anathemate percussæ, et jam dudum damnatæ atque in orbem missæ? Maledictus ergo, qui eas eruderat ac rursus in lucem producit.

VI. Quia nimis parva et angusta, ideoque a fluctibus facile absorbetur, ab hostibus quoque expugnatur. Hujusmodi est secta Lutheri et Calvinini, nimis inquam angusta et in uno tantum alterove hærens angulo. Vera autem Ecclesia debet esse catholica, ut vocatur in Nicæno symbolo; catholica vero dicitur, quod per totum terrarum orbem diffusa sit secundum August.

epist. CLXIII. Quare videns Lutherus Ecclesiam suam non esse catholicam, symbolo apostolico vim intulit, et pro catholicam, substituit christianam; siquidem evangelii Lutherani et Calviniani sonus nequaquam exiit in universam terram, quemadmodum catholici. Lutheranismus nullum adhuc mare transiit, in uno septentrionalis angulo hæret, nec totum pervasit. Anno 1530. confessioni Augustanæ non plures subscripserunt Germaniæ principes quam septem, videlicet Joannes elector Saxonie, Georgius marchio Brandenburgensis, Ernestus dux Luneburgensis, Franciscus dux Luneburgensis, Philippus Landgravius Hassorum, Wolfgangus princeps ab Anhalt: cum tamen universim sint plures quam septuaginta. Ex civitatibus imperialibus quæ itidem plures quam septuaginta sunt, non plures quam duæ, Norimberga et Reutlinga. Non hodie multo latius se explicavit, quæ vix se conservare potest, et paulatim a Calvinismo devoratur, uti vipera a partu proprio enecatur.

Vera Ecclesia debet esse ut arca Noe capacissima et omnis generis animalia continens. Vocavit quidem Christus suos pusillum gregem, sed apostolos tantum et prima Christianorum germina: postea autem grex ille crescere debuit super omnes alios, juxta parabolam illam de grano sinapis (quod minimum quidem est omnibus seminibus; satum vero crescit, et fit majus omnibus oleribus) et extendere ramos suos per totam terram; non quidem quod Ecclesiæ arbor orbem totum implere debeat, sed quod ramos suos in totum orbem extendere: licet inter ipsos ramos sint quædam vacua spatia, uti hæreses, Judæi, gentiles aliqui, ut venientes undique volucres, id est, nationes habitent in eis; hæreticis autem in uno septentrionis nidulo sedentibus et in plurimas sectas divisas dicere possumus id Augustini, lib. de utilit. credend. c. XIV. *Vos autem et tam pauci et tam turbulenti et tam novi, nemini dubium est, quin nihil dignum auctoritate præferatis.* Advertit hoc Luth. fæx, et ideo in orientem propagare volens hæresin suam, misit articulos suos ad patriarcham Constantinopolitanum approbandos, sed ab eodem condemnati et solidis rationibus confutati sunt. Denique, nullum usque in hanc diem habuere imperatorem suæ sectæ per annos 1300. quibus imperio præfuerunt christiani imperatores. Quod evidens argumentum est ipsos esse novatores ab Ecclesia Christi excludos.

Tandem si ipsorum navis veræ Ecclesiæ navis est, sequuntur innumera absurda. Primo, damnatos esse omnes, quotquot fuerunt, catholicos, sanctos martyres, confessores, virgines, quia senserunt cum Ecclesia catholica, nec habuerunt specialem illam fidem, quæ certificat de salute,

sed cum timore et tremore operati sunt ad salutem suam. Neque hoc negat Lutherus, sed gloriatur se invenisse veram rationem salutem consequendi. Ergo tot annis frustra prædicatum est, frustra tot baptizati, tot bona opera facta, frustra martyres passi, tot sacerdotes et episcopi ordinati et operati sunt, frustra tot Concilia habita, frustra tot gentibus prædicatum, tot præcones in orbem missi a sede Romana, frustra tot ordines instituti, tot monasteria fundata: denique, Ecclesiam nullum adhuc habuisse fidelem imperatorem, quia nullus adhuc fuit Lutheranus aut Calvinista: quantæ hæ insanie? Quid ergo vos hæretici, quid respondebitis Christo judicii die? Quomodo visis tot argumentis non potuit vobis non suspecta esse religio vestra, etc.?

## CONCIO IX.

## DOCUMENTA.

I. A turba discitur fervor in audiendo verbo Dei. — II. A discipulis: 1. Æquanimitas in adversis. 2. Sine Christo nihil recte fieri. 3. Confidere in vero. 4. Obedire Deo. 5. Proximo subvenire. — III. A Christo: 1. Mansuetudo. 2. Potentia. 3. Liberalitas.

## THEMA.

*Sedens docebat de navicula turbas.* Luc. V.

Mirabile suggestum elegit sibi Dominus ad dicendum in hodierno evangelio, naviculam inquam in mari fluctuantem. Et quamquam ad hoc compulsus est populi multitudine in se irruentis, nihilominus tamen fateri debemus, facile potuisse Dominum, si voluisset, locum pro concione in terra sibi deligere. Non caret igitur mysterio hæc nostri magni concionatoris cathedra. Ac meo quidem judicio videtur mihi Dominus per hoc instruere, et quodammodo investire voluisse verbi Dei præconem. Quid enim mare designat, nisi sacram Scripturam, cui velut basi insistere concionator debet? Quid navicula in mari, nisi ejusdem Scripturæ explanationem et intellectum ab Ecclesia catholica et sanctis ejusdem patribus receptum, intra quem constrictus sese continere debet Ecclesiastes, ne alioquin cum hæreticis pro suo libitu Scripturam explanantibus, mergatur et suffocatur in sacrarum litterarum mari. Navicula a terra abducta quid aliud designat, quam doctrinam concionatoris, non terrenam sed cœlestem esse; eadem in mari libera et soluta indicat verbum Dei omnibus libere prædicandum, quia ut ait apostolus, II. Timoth. II. *Verbum Dei non est alligatum.* Eadem semper fluctuantis motum verbi divini et vivacitatem notat, qua primo concionator ipse motus auditores suos movet. Deni-

que, Petrus retro Christum tenens gubernaculum eoque navim firmans, ne a fluctibus abripiatur, annon recte Spiritum sanctum representat, qui concionatorem regere debet, ut congrue loquatur. Hoc itaque perspecto, animus advertamus quid ex Christi concione et piscatione discere et piscari possimus.

I. Discimus a turba fervorem in audiendo verbo Dei. Primo enim, ad hoc audiendum exeunt a suis ædibus usque ad littora maris; deinde, irruunt in Christum, desiderio audiendi; denique, in magna compressione stantes perseverant audiendo. Timeo sane ne hæc turba surgat cum Ninivitis et accuset nos in iudicio, utpote quibus molestum est adire templum causa verbi divini, et sedere per horam ad concionem. Timeo ne paulatim similes efficiamur Hebræis, qui ex manna tandem nauseam capientes, desideraverunt carnes: non quod manna deterius esset carnibus, (habebat enim omnem saporem desideratum, ut habetur Sapientie XVI.) sed quod semper idem cibus appareret quoad colorem, figuram, formam, etc. Ob quam nauseam a Deo gravissime puniti sunt, Numer. XI. Habuit manna colorem bdellii, Numer. XI. qui est color unguis, teste Plinio, XII. c. IX. et Dioscorus, libro 1. capite LXIX. Hic ipsius color verbi Dei est, qui offendit multos et nauseam illis movet: color, inquam, unguis, quando ungue correptionis vitia fricantur.

Si ideo tantum in Dominum irruissent, ut miracula viderent, vel a languoribus suis sanarentur, minus premeremur exemplo hujus turbæ. Verum, ut evangelista testatur, propterea irruerunt in eum, ut audirent verbum Dei: intelligebant enim medicinam animæ esse verbum Dei, ideoque non minori sed majori potius sollicitudine querendam, quam corporis medicinam. Nos sane ad nugas et novitates hujus sæculi audiendas et cernendas certatim accurrere solemus, sed non ita ad Dei verbum et plias exhortationes.

II. Discimus a discipulis Christi; primo, patientiam et æquanimitatem in adversis rebus. Tametsi enim tota nocte frustra impendissent piscationis suæ laborem, nihil tamen ex hoc indignationis aut impatientiæ conceperunt; aut effuderunt, nulla execrationis verba protulerunt; sed placide responderunt ex ore Petri: *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Nimirum discipuli isti jam fundati erant supra petram, Christum, utpote jam ante ab eo vocati. De talibus autem dicit S. Cyprianus, l. IV. ep. II. Decet graves viros semel super petram robustam solida stabilitate fundatos, non dico aura levi, sed nec vento, nec turbine commoveri. Non sic impii, non sic, qui ad levissimum quemque*

impulsus adversitatis prorumpunt in furias et execrationes; sed tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ. Paleæ sunt, quæ jactatæ ventilabro, avolant; justi contra triticum, quod persistit.

Secundo, sine Christo nihil fieri recte vel utiliter. Ipse enim est lux mundi: sine ipso nox est, adeoque nihil capimus et primo nostris laboribus, quos victui nostro impendimus; nisi enim ad eos accedat Dei benedictio, parum aut nihil efficiemus, quia ut dicitur Proverb. X. *Benedictio Domini divites facit.* Non labor aut industria nostra. Multi diu noctuque laborant, diebus festis et non festis, interim non ditantur: cum alii contra festivos diebus parcentes, commode se sustentent, quia scilicet hos benedictio comitatur, non illos. Secundo, nostris operibus alioqui bonis, si extra statum gratiæ fiant, tunc enim merito vitæ æternæ carent. Qui in statu peccati mortalis est, quasi in densis Ægypti tenebris est, ubi nemo poterat loco se movere aut quidquam operari, Exod. X.

Tertio, confidere in Deo et promissis ejus. Sic enim Petrus, tametsi tota nocte frustra laborasset, confidit in Christi nomine se vel nunc capturum aliquid, unde et obtinuit sua confidentia id quod speravit, sed et multo plus quam sperare poterat. Fiducia in Deum instar sagenæ est, quam quo magis extendimus, eo plus capimus: unde monet Dominus: *Laxate retia vestra in capturam.* Hac fiducia suffulti apostoli orbem invaserunt et in rete suum traxerunt. Eadem ratione S. Xaverius Indiam et Japoniam piscatus est, quia maxima fretus fiducia ad eas capiendas abiit, adeo ut in rebus difficillimis nihil timeret nisi diffidentiam de ope Dei. Nec aliam ob causam plerique mortalium humi repunt, et nunquam ad magna assurgunt, nisi quia hac fiducia carent, nec serio apprehendunt, et credunt Deum esse fidelissimum nostri protectorem, Deum nobis adesse, nec sinere ut tentemur supra id quod possumus, etc. Ac licet aliquoties differat id quod ab eo expectamus, adeoque tractus aliquos cum Petro frustraneos faciamus, non tamen omnino aufert.

Quarto, obedire Deo ejusque directioni per omnia acquiescere. Ecce enim Petrus, licet artis piscatoriæ peritus sciret diem piscationi minus idoneum esse, jamque expertus esset etiam de nocte se nihil effecisse, et ipse insuper cum sociis jam lassatus esset, nihilominus ad verbum Christi, iterum se accingit ad laborem et retia expandit. Hunc in modum Dominus potius et superiorum voluntati, quam nostri sensui aut scientiæ parere decet, si res prospera

agere et decipi non volumus. Recte S. Justinus martyr, lib. de recta confess. dixit: *Cedendum est voluntati Dei, sicut lutum obsequitur suo figulo.* Quo pertinet id Isa. LXV. *Væ qui contradicit facti suo, testa de Samiis terræ. Numquid dicit lutum figulo suo: Quid facis? Et opus tuum absque manibus est?* id est, irrationabile et impolitum est, quod facis aut imperas. Jussu Christi multum ceperunt, qui injussu ejus nihil ceperunt. Sic Israelitæ in deserto, dum sine jussu Dei ascendere volunt in Chanaan et cum hostibus pugnare, cæduntur et fundantur, quos alioquin prius, si Deo paruisent, facile delevisent, Num. XIV.

Quinto, proximo subvenire. Ita enim illi, qui erant in socia navi, ad solum nutum sociorum venerunt et opem illis tulerunt in trahendo reti licet remotiores essent; (ob quam causam, non clamore sed nutu brachiorum eos vocabant), causa autem annuendi sociis erat ruptura retis, cui obviare, et simul rete trahere non poterant sine ope sociorum. Hunc in modum nemo sibi solus sufficit, qui enim ex una parte abundat, ex alia interim eget. Et propterea Deus sicut singulis nationibus distribuit peculiaria dona, aliis abundantiam vini, aliis copiam frumenti, aliis lanæ, aliis mellis, aliis salis, aliis aquarum medicarum et acidularum, etc. ita et hominibus singulis sua talenta; quo concordia fraterna et unio animorum inter eos foveretur, dum alter altero indiget. Docent ergo discipuli et proximorum opem implorare, cum nobis non sufficimus, et eandem aliis cito et facile impertiri.

III. Discimus a Christo. Primo, ejus mansuetudinem in pluribus actionibus. Primo enim, non indigne tulit, quod turbæ in eum irruerent, seu (ut aliqui vertunt) *incumberent ei.* Ecce tibi pastorem illum, imponentem in humeros suos oves, quas querebat. Secundo, non est dignatus ingredi navem pauperis piscatoris, monens hoc facto nos, ut ne diffidamus de ingressu ejus in ædes nostras, cum ægrotamus: tam libenter enim ingreditur tugurium pastoris, quam palatium principis. Tertio, rogavit Petrum ut naviculam a terra paululum abduceret; rogavit, inquam, qui imperare poterat, et ipsemet nutu suo facere absque mora, quod rogabat Petrum. Nimirum volebat vehi a Petro. et quia hoc ipsum cum aliquo quali labore faciendum erat, Deo non imperare, sed rogare voluit, in exemplum omnium præpositorum, ut potius mansuetudine, quam violentia regere subditos dicerent. Hoc enim taxat in rectoribus Ezech. XXXIV. Deus, dicens: *Cum austeritate imperabitis eis et cum potentia.*

IV. Consolatus est et exerit Petrum metu ob

divinam suam præsentiam consternatum, cum ait: *Noli timere; ex hoc jam eris homines capiens.* Cum enim nos humiliamus et indignos Dei præsentia judicamus, tunc erigit nos Dominus et exaltat. Unde S. Ambrosius in hunc locum ait: *Dic tu: Exi a me, Domine, quia homo peccator sum, ut respondeat tibi Dominus: Noli timere.* Contra cum nos erigimus, ipse nos deprimat et aversatur.

Secundo, potentiam et imperium ejusdem, super creaturas; siquidem tam repente pisces fere innumerabiles undique ex vicinia maris mirabili modo coegit et in rete egit. Quis explicet hanc potentiam? Annon hic cum apostolo jure exclamare possumus: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini?* Scivit enim et vidit Dominus pisces in profundo mari et inde eos expellens in rete congregavit, dum ipse interim in navi existens aliud ageret. Quanta hæc sapientia! Quanta potentia! Quanta et divitiæ! Si enim in momento, cum voluit et quos voluit capere pisces potuit; quid non opum hujus mundi habere potuisset, si voluisset? Annon eadem facilitate, omne aurum, omnes gemmas, omnes opes, quæ in mari latebant, eruere et piscari potuisset? Non ergo mirum, si discipuli relictis omnibus Christum secuti sunt; quem enim ditorem et potentiorum dominum ac magistrum sortiri potuissent? Quamquam video in hac non tam commendari divitias, quam paupertatem a Domino, qui cum posset omnia sibi mundi bona comparare, maluit pauper vivere et omnibus carere.

Tertio, liberalitatem et magnificentiam ejusdem, dum præstitum sibi a Petro obsequium et obedientiam tam cito tamque largiter remuneratus est, maxima videlicet piscium captura. Ita nimirum Deus pro exiguo servitio, quod ipsi exhibemus, largissimam dat mercedem, cum e contra mundus, diutinis obsequiis nil fere rependat. Qui enim mundo serviunt, cum discipulis tota nocte laborant et interim nihil capiunt, nisi linteum, quo sepeliantur. Audi Saladinum principem Ægypti, qui morti proximus jussit in hasta circumferri camisiam seu linteum indusium, clamante præcone: *Hanc secum fert mercedem, Saladinus Asiæ domitor, gentium victor,* Cranzius, lib. VII. metrop. c. XXVI.

Idem agnoscent alii, cum a mundo expellentur, et nihil invenient in manibus suis. Imprimis vero sperandum est, negotia nostra sæcularia feliciter cessura, si prius rei divinæ operam dederimus. Scimus enim post auditam concionem, non ante, captam et conclusam

esse piscium multitudinem. Quando currum equis trahere volumus, prius eum inungimus, ut expeditior sequatur; quando falce metere, prius falcem acuimus, ut facilius scindat. Cur non idem facimus in negotiis nostris secularibus, ut magis prospere succedant? Cur inquam ea non unguimus et acuimus praevis orationibus aliisque piis operibus? Quam ob causam David tam dextre jaculatus est, ut uno lapidis ictu perfringeret Goliathi frontem? Quare potuit praevari ejus gladio caput ipsi amputare, nisi quia praevia nominis divini invocatione et lapidem roboravit, et gladium illum acuit? Procedens enim in certamen, ita loquebatur: *Ego venio ad te in nomine Domini Dei exercituum Israel*, 1. Reg. XVII. Quam ob causam Judas Macchabaeus tam feliciter pugnavit, nisi quia ante praelium orare semper consuevit? Et quoniam ante ultimum non legitur orasse, idcirco fortasse in illo cecidit, 1. Macch. IX.

## CONCIO X.

## MYSTERIA.

I. Quid significant duae naves? — II. Cur Christus ascendit in navem? — III. Cur sedens docet? — IV. Cur hoc miraculum in captura piscium edidit? — V. Quid significat ea piscium captura? — VI. Cur ait Petrus: *Exi a me Domine*? — VII. Quid significat haec piscatio?

## THEMA.

*Sedens docebat de navicula turbas.* Luc. IX.

Duplicem piscaturam cernimus in hoc evangelio, spiritualemente Christi, materiale Petri: sed magna utriusque disparitas. In hac enim pisces capti sunt ad mortem, in illa vero ad vitam. Quocirca Dominus ad Petrum dixit: *Ex hoc nunc eris homines capiens* (Graece) *vivificans*. Itaque auditores, non est cur timeamus rete Christi, quia non mortem sed vitam affert. Ad hoc igitur adnatemur totis viribus et audiamus verbum ejus.

I. Quid significant duae naves, quas vidit Christus stantes? Respond. primo, secundum venerabilem Bedam, significant duos populos, Judaeos et gentiles, seu circumcisionem et praepitium. Prima designans Judaeos dicitur fuisse Simonis Petri, altera signans gentiles non nominatur, quia gentiles nullo erant apud Deum loco. Hinc et Lazarus nomine suo describitur, epulo vero minime. Reprobi enim audiunt: *Non novi vos*; boni contra: *Novi te ex nomine*, Exod. XXXI. et XXXIII. quia scilicet bonos habet Deus in sua memoria, cura, dilectione; malos non item. Utraque navis stabat ad hujus mundi

stagnum, destituta gubernatore, unde non poterat cursum suum versus patriam caelestem promovere. Itaque Christus in unam navem, quae erat Petri, ingressus est, quando ex Judaeis secundum carnem natus est, illisque praedicavit per seipsum primo, deinde per Petrum, cui Judaeos commendavit. Porro tanta piscium captura secuta, ut etiam alteri navi annuendum esset et utraque impleretur piscibus, sicque in unam coiret Ecclesiam, ut jam non sit: *Distinctio Judaei et gentilis*.

Respond. secundo, secundum S. Ambrosium, ser. XI. significant Ecclesiam et synagogam, illam Petri, hanc Moysis. Christus: « Spernit synagogam perfidam, fidelem assumit Ecclesiam: vacua synagoga relinquitur in littore, quia Christum cum prophetarum amicitia oculis; onusta autem Ecclesia in altum assumitur, quia Dominum cum apostolorum doctrina suscipit: synagoga remanet ad terram, quasi terrenis inhærens operationibus; Ecclesia autem in altitudinem revocatur, tamquam caelorum profunda sacramenta discutens. » Haec fere S. Ambros. Rursum synagoga semper suo loco stetit intra Euphratem et mare mediterraneum seu in Palaestina, nec in exteras se nationes effudit; sed Ecclesia a terra Palaestinae reducta primum proximis regionibus se insinuavit, postea in altum ducta est, et ad remotiores gentes peragravit. Denique, synagoga ad terram affixa haesit, quia terreno tantum Scripturae intellectui inhæsit; Ecclesia in altum ducta est, quia caelestem et spiritualemente ejus intelligentiam assecuta est. Judaei terrenam prosperitatem quaerebant et expectabant a Messia; sed Ecclesiam duxit in altum Christus, quia docuit eam quaerere et expectare caelum, ubi verae sunt divitiarum, honores et voluptates.

II. Cur Christus concionaturus ascendit in navem? Respond. primo, ut quietior a compressione esset; dicitur enim: *Cum turba irruerent in eum, ut audirent verbum Dei*. Unde colligas quantus tunc fuerit fervor populi ab auditoribus. Dices: Christus Deus fuit, qui tunc concionabatur; concionatores nostri homines sunt. Respondeo, paucos aut forte nullos ex ea turba scivisse Christum esse Deum: unde ait Lucas, irruisse in eum turbas, ut audirent verbum Dei, non ait: Verbum ejus.

Secundo, ut non solum audiri, sed etiam videri posset ab auditoribus eosque videre, quo gratior ac efficacior esset sermo. Nam quae cum debita actione et gestu docentur, videri potius quam audiri videntur. Unde Aeschines ille apud Rhodios exulans, cum lecta esset Demosthenis oratio, quam adversus eum

habuerat, illique admirarentur et laudarent: *Quid si, inquit, audissetis ipsam bestiam sua verba resonantem*? Quanta cum suavitate et gratia, quanta cum majestate et emphasi perorasse putamus nos Filium Dei?

Tertio, ut ostendere se verum animarum piscatorem esse, non piscium. Caeteri enim piscatores rete ex terra in mare jactant: Christus ex mari rete jactat versus terram. Rete est verbum Dei seu concio, quoniam ex multis filis, id est, sententiis Scripturarum et Patrum contextum, nodos suos habet et stimulos carni displicentes; plumbum deprimens rete ad fundum sunt comminationes gehennae, lignum spongiosum enatans et rete erigens ad summum sunt promissiones vitae aeternae. Quare S. Ambros. hic ait: « Bene apostolorum instrumenta piscandi retia sunt, quae non captos perimunt, sed reservant, et de profundo ad lumen extrahunt et fluctuantes de infernis ad superna perduunt. » Unde retia quasi retinentia dicta sunt, ait glossa. Pisces sunt homines, frigidi ad Dei amorem, et percipienda caelestia tardi, delectantur limo terrenarum cupiditatum, devorant se mutuo, fortior debiliorem, ditior pauperem. Mare est mundus, amaritudinibus, perturbationibus, periculis plenus.

III. Cur Christus sedens docet? Respond. primo, ad indicandam auctoritatem suam. Praedicabat enim verbum suum et loquebatur tamquam potestatem habens, sicut rex cum perorat aut promulgat mandatum suum. Hinc etiam episcopi, qui Christum proprie representant, sedentes concionantur. Caeteri concionatores, quia: *Pro Christo legatione funguntur*, ut ait apostolus, II. Cor. V. et servi ipsius sunt, stantes solent loqui.

Secundo, ut ostenderet se in navi Petri seu Ecclesia Romana sessurum, id est, semper mansurum, ibi docturum, ibi miracula patratum, ibi sacramenta exhibiturum, ibi in altum perfectionis et demum vitae aeternae ducturum. Quidquid moliantur haeretici, non eximent hinc Christum, nec ad suas scaphas trahent. Sedet enim in vicariis suis, Romanis pontificibus, usque in hodiernum, qui proinde recte dicuntur *sedisse* tot vel tot annis, etc. qui locum Christi obtinent, gubernaculum Ecclesiae tenentes et docentes.

Tertio, ut doceret rationem praedicandi et audiendi verbum Dei, peccato scilicet et tranquillo animo ab omni perturbatione semoto. Ut ergo serpentum quoddam genus, (ut scribit S. Augustinus ad Julianum comitem de perfecta justitia) cum it ad bibendum, venenum omne deponit; ita sum ad verbum Dei hauriendum imus, deponere debemus venenum

malorum affectuum, superbiae, invidiae, curiositatis, odii, etc. Sedendum denique, id est, finis concionis patienter expectandus. Solent enim qui ad concionem stant, citras se subducere, nec finem expectare.

IV. Cur hoc miraculum in captura piscium edidit? Respondeo primo, ad confirmationem doctrinae suae et concionis habitae. Ut enim litteras sigillo appenso confirmamus: ita Christus sermones suos miraculis confirmavit et confirmat etiamnum in Ecclesia. Quare ubi novum evangelium aut dogma proponitur, non est recipiendum, nisi miraculis confirmetur. Haec quia nulla sunt apud haereticos nostros, non sunt audiendi.

Secundo, ut Petro compensaret usum naviculae concessae, necnon ejus obedientiam praemiaret, qua rogatus navem reducere a terra, et jussus in altum ducere, paruit. Nihil ergo irremuneratorum relinquit Dominus, praesertim quando verbi Dei praecones domo et hospitalio recipiuntur, uti expertae sunt feminae illae, quae receperunt Eliam et Elisaeum.

Tertio, ut discipulorum animos confirmaret ad se sequendum et praedicandum cum fiducia Dei verbum. Cum enim viderent tantam tamque mirabilem piscium capturam, poterant intelligere se etiam in summa paupertate a Christo sustentari, imo et ditari posse. Rursum, se quoque cum Christi auxilio innumeros homines capere et perducere ad fidem posse, si quidem hoc miraculum fecit ad significandam Ecclesiae accessionem, quae facienda erat per apostolorum praedicationem.

V. Quid significat mira tot piscium captura? Quid ruptura retium? Quid navis periclitatio? Respondetur stupendam illam piscium multitudinem significare mirabilem mundi conversionem factam in brevi tempore. Qui eum converterunt, erant rudes, simplices, pauperes, atque duodecim tantum apostoli. Qui conversi sunt, erant vel philosophi eloquentissimi et versutissimi, vel homines depravatissimi et gravissimis erroribus a multis aetatibus imbuti. Doctrina, quam afferrebant, erat carni et mundo contraria, nova, stupenda: Crucifixum adorandum et pro Deo agnoscendum: caeteros deos tot retro saeculis cultos et adoratos nihil nisi daemones, lapides et ligna esse. Impugnatores illorum erant potentis hujus saeculi, quia omnibus machinis evertere eos moliebantur, et hoc ipso interim augebant.

Retium ruptura significat haereses. Sic enim S. Petrus Alexandrinus patriarcha vidit Christum veste discissa sibi apparentem, quam dilacerasse Arium Christus dicebat, Sur. 26. novemb. in vita